72



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Lunæ nono Martii anni M. DCC. XXXIII.

M. PETRO MALOET, Regis Consiliario & Medico ordinario, necnon Domûs Regiæ Invalidorum Ducum & Militum, Academiæ Scientiarum Regiæ Socio, Doctore Medico, Præside. Autore.

An à Tabaco naribus assumpto, peculiaris quædam Cephalalgiæ species, aliique affectus?

I.



OMO solus inter animantes rationis capax,

Scilicet ut possit curvo dignoscere rectum.
Et quæ sit natura boni summumque quid ejus,

à rectâ ejus viâ sæpiùs aberrat, quippè naturam sortitus est (contrà quam mos est his) illi diffidentem, sic ut cum eâ luctari non desinat, sexcentis in casibus justo nequeat iniquum secernere, hocque illi anteferat, hinc aptè dictum.

Pauci dignoscere possunt
Vera bona atque illis multum diversa, remotâ
Erroris nebulâ.

Neque in cogitatis tantùm à ratione alienus persæpè est, sed & plerùmque in desideriis, cæterisque animi motibus; quid enim timet aut cupit ratione? quem majora non movent pericula, levioribus expavescit; ab araneâ turpi, ridiculo mure; alioque vilissimo insecto meticulosus, in-

ſtructas acies impetit, ac ſi ſtygiis undis immerſus fuiſſet, aut ejus pectore ægis ſederit, ſeſeque bellicis objicit tormentis, veluti arma à Vulcano fabricata geſtaret. Diſſociabilis Oceani fluctibus, quo nequicquàm abſcidit prudens Deus terràs, non terretur, audaceſque ædificat carinas, qui mortem in rivulo, ipſius formidine, nanciſcitur: nec cùm æquo ſolùm certant hominis judicia atque cupidines, ſed & illa & ipſemet ſecùm: nihil illi tanti eſt quam vivere, valere, liberum eſſe, delectari, horum tamen nullam plerùmque habet rationem, nec ſe ad illum metitur, quem hæc dedit modum, poſuitque, & morti, mobo, ſervituti, dolori, quæ ſummè deteſtatur, levidenſi ſæpè munuſculo ſe dat obvium, lymphato proximus, aut tanquam floccifaceret; adeo ſecùm pugnantia frontibus componit adverſis! quidquòd hocce præclarum rationis donum, quo nihil obſtante maxima hominum pars vitiis gaudet conſtanter, in eorum excidium, ex malo uſu, quandoque vertitur, nempè eſt ubi, quæ illorum ſaluti præeſt, hæc eos agat in pericula præcipites, eorumque res non magis ſint in vado quàm cum illa feriatur, teſtes ſunt in ſublimi loco conſtituti, ex ſolâ periculi imagine in caſum proni; teſtantur, quibus tot ſubmerguntur homines, vada, pede quæ dextro tranſiliunt belluæ, Naturâ viam monſtrante, rationi incognitam; teſtes *ſomnambuli*, qui ſalvi & incolumes loca anfractuoſa & vigilantibus vix adeunda, pertranſeunt, in quibus experrecti pereunt.

I I.

FOLIO quod rapit ventus capitur divinæ auræ particula, ſtipulâque ſiccâ tenetur, Supremi ſcintilla Numinis, hinc oblectamenta, delicias, ſolatia petit animal dote rationis ſuperbum, in eo ſummum tantùm non collocat bonum: heu miſerum! cujus ſolamen, vapor; recreatio, fumus; voluptas, pulvis: inque dies ultrà eò miſerius, quò ludum inſolentem pertinaciùs ludens, pluris has emit, in quibus totum eſt, nugas, quibuſque non impunè detinetur: fumum illum ſæpè membrorum excipit damnum, in hoc pulvere latent malorum irritamenta, apertam ſævus in rabiem vertitur jocus, in jugum ludus, delectatio in morbum, culpamque comes premit pœna.

I I I.

NASUS primum ſpiritûs organum, odorum ſedes, arbiter & judex candidus, dum ſui juris eſt; pulmonum, ſtomachi, cordis, cerebri ipſius excubitor ſagaciſſimus, magno cum apparatu fabrefactus, variiſque partibus inſtructus quarum externæ aliæ, aliæ internæ; inter externas numerantur radix, fornix, dorſum ſeu ſpina, latera naſi aut fornicis, orbiculus, alæ ſive pinnæ, nares externæ, ſubſeptum, quæ omnia diverſis partibus, oſſibus, cartilaginibus, perioſteo, perichondrio, cuticulâ, cute, membranâ adipoſâ, glandulis, &c. compinguntur. In internarum cenſu ſunt nares interiores, ſeptum, anfractus; tùm ſuperiores cùm inferiores conchæ, poſteriores nares, frontales, maxillares, ſphenoidales ſinus, lacrymales ductus, palatini, quibus omnibus quæ pituitaria audit communis eſt membrana, quæque ſingula nervis, arteriis, venis, vaſiſque lymphaticis adornantur.

I V.

ÆNEA illi erat frons, qui primus truci fragiles commiſit pulveri partes; hæ inſenſibilibus odorum effluviis dicatæ, fibriſque facilè mobilibus donatæ, animæ gratas vel ingratas corporum odoratorum affectiones brevi nuntiant: qui verò craſſi inſultus ſuſtinebunt pulveris? Quos motus edent ab acribus ejus partibus laceſſitæ? Quibus ſpaſmis corripientur à corroſivis ejus ſalibus vellicatæ? In quas incident ataxias ab eorum ſpiculis impetitæ? Maximè poſtquam in variis naſi anfractibus, mæandris & ſinubus, atque inter iſtos in frontalibus, quos propter ſitûs directionem facilè ſubit, quibuſque præ exitûs anguſtiâ difficulter ejicitur, corruptelam & putredinem cum morâ contraxerit: proritatâ à ſalinis hujus herbæ particulis hos ſinus veſtiente membranâ, moleſta excitabitur ſenſatio, ſeu dolor gravativus, ſimplicis doloris capitis nomine veniens, ſed caracteris ſingularis & naſi radici atque ſuperciliis reſpondens, quem frequenter experiuntur qui plus æquo naribus indulgentes, plurimum ducunt tabacum, ſincerumque naſum incruſtant, quemque falsò calvariæ penetralibus rudis plebecula vero diffidens, & cerebri menyngibus Medicorum vulgus adſcribunt; nullus quippè è naſi gyris ad corporis metropolim patet aditus, impervio ethmoideo oſſe, pluribus licet perforato poris, qui mammillarium proceſſuum, primum nervorum par conſtituentium fibrarum faſciculis, duplici involucro à cerebri menyngibus mutuato, & cuilibet proprio circumſeptis, penitùs obturantur & opplentur, ſic ut nulla liquoris etiam ſubtilioris tranſitui ex intimis calvariæ adytis ad naſum, & viciſſim ſuperſit via; Eo ferociæ quan-

doque progreditur ſupradictus dolor, ut immanes vomitus ex eo ortos, ventriculo in conſenſum, laudatorum ſinuum membranæ vellicatione tracto, non ſemel viderimus, de illo conquerentes multos advertes, paucos genuinam ſed placentem cauſam accuſantes, ferè nullos huic valedicentes.

V.

DUPLICEM Mortalibus pulverem intulit ætas poſterior, alterum, pyrium dicam an ſtygium, utpotè è faucibus orci eductum, quo immaturo cedunt fato, quemque in nepotum perniciem, & ſui ævi opprobrium, impius manu ſacrilegâ malâque arte produxit Myſta, in propriâ pelle non quieſcens; alterum nefaſto barbaris egentibus die, infauſtâque avi advectum, quo nova morborum ſeminia his pullularunt terris; hôc iſte nocentior, quòd eo armatas quiſque ſibimet ipſi manus injicit incontinentes (altero patriæ hoſtibus reſervato) quodque in amicitiæ pignus caris etiam capitibus offeratur, atque immeritis intrudatur organis; hæc ad lymphæ dulcis excretionem, gratis odoribus excipiendis, ſuavique halitui admittendo, emittendoque à Naturâ comparata, nunc ſuis functionibus deſtituta in vilem ſentinam atro conſpurcatam muco, viroſum ſpirantem odorem, tetram exhalantem mephitim, fœtidumque humorem aſpectu fœdum perpetuùm ſtillantem mutantur, naſus dicetur an ulcus? hinc etiàm in naſutis ſubſequitur odoratus abolitio, velut iis nullus foret naſus, & in florente tanquàm in provectâ ætate, madidi conſpicitur naſi infantia, quâ viſâ nemo eſt qui hæc in ore aut in mente non habeat,

Jam gravis es nobis & ſæpè emungeris, exi
Ocyùs & propera.

Inter hæc craſſo oppletis pulvere narium ductibus, gravedo inducitur moleſta, & nativum indeſinentis atque ad vitam neceſſariæ reſpirationis iter præpeditur, ſicque natura ipſa invertitur, ut poſtmodum niſi ore aperto & hiante, non ſine ariditatis in linguâ & imis faucibus ſenſu, dentiumque damno, hæc peragi non poſſit, aut anhelis ſimiles, vigilanti ſtertant naſo, noctesque ducant inſomnes: nec ejus limitibus coercetur damnoſi hujus muneris labes, ſed quaſcumque vicinas partes adoritur: per poſteriores delabens nares iſthmo, importunum acrimoniæ ſenſum infert, gargareonem vellicat undè nauſeæ, vomituritiones, & alimentorum reditus poſt paſtum frequentes, iis qui languidas putant epulas, niſi quâ menſurâ ſe cibis vinoque ingurgitant, eâdem naſum infarciant, ut nihil guſtent omninò, quod non afflarit, afris ſerpentibus pejor anhelitus illo gravis pulvere; laryngis quoque oras ſtimulat fœda hæc illuvies, atque etiam in ejus canalem (ſi exactè ab epiglodite non claudatur, quod ſæpiùs accidit) irrepens illius tunicam interiorem irritando importunas accerſit tuſſes, hinc videas hominibus, cætera ſanis, vel uno Nicotianæ pugillo ſuccuti thoracem velut *Cucullo* Morbo, heu nimis his temporibus ſæviente correptis: ad hæc ad palatum vergens puros ſalivæ fontes contagio inficit, & qui ſeroſus latex recrementum erat ſalubribus uſibus deſtinatum, ſaporis & odoris expers, eorumque vehiculum, noxium putidumque fit excrementum, actutùm & perpetim eliminandum, hinc

Longâ manantia labra ſalivâ,

Perpetuaque ſputatio (velut ptyaliſmo & hydrargyroſi tentatis) quâ horrendus viſu & ad atram fuliginem accedens properat ichor marmoribus, phtyſicorum æmulus, terramque inteſtino ferit luto. Quo

Quilibet adſtans
Nauſeat, atque oculis bilem ſubſtringit opertis.

Sin retrocedant hujus luxuriæ ſordes & ad gulam tendant, quem tumultum ſtomacho ferent ſi Oeſophagum præterlabentes ad illum pervenerint? eum percellendo ſingultus, cardialgiaſque provocant; in hujus verò fundo congeſta lenta hoc cœno pituita anorexias, magnaque movet faſtidia: quos porrò vomitus ciebit nerveam ejus tunicam pungendo, grave hujus pulveris virus, vim emeticam exerens omni mochlico potentiorem, quam in deſperatis apoplexiis, conclamatis ægri rebus, fruſtrà adhibitis reliquis præſidiis, periclitari vix audent prudentes Medici, & quæ clyſmatis formâ ſpaſmos edit, iis quos excitat ſtibium etiam ore aſſumptum vividiores: ulteriùs flexuoſos inteſtinorum gyros decurrens, vaſorumque lacteorum oſcula pervadens, quas tragædias aget, cordis thalamos ſubeundo, pulmones permeando? Hos premit, venenat illud morſu, hinc palpitationes, lipothymiæ, pectoris anguſtiæ frequentes; quoniam verò venis nihil niſi lene committerè decet, quas perturbationes excitabit cauſticus ille pulvis cruori affuſus, nervoſoque generi inſtillatus? hinc occupat tremor artus, linguam balbuties: huc refer morbos majoribus noſtris inauditos, ægris cruciatus, Medicis negotia faceſſentes; ad cerebrum delatus caput inebriat, ſpiritus obtundit, vertigines gignit, memoriam labefactat.

Inde animi caligo & magna oblivio rerum
Quas modo geſſiſti.

In aures ipſas, Euſtachianâ favente tubâ, aquæ ductu perperàm dictâ, è faucibus irrepens autium tinnitus parit, bomboſque: nec parcit oculis lethiferum hoc donum, ſed quandoque per lacrymalem ductum, è naribus madidâ tinctis fuligine, ad eos elevantur ejus particulæ, quos morſu fatigant ſuo, caligines inducunt, lacrymaſque eliciunt meliore causâ dignas, & acre producunt malum ocelli ſtillantis: adhæc quis æquo judicans jove, naribus ſic uti non formidet, ſi nervis opem poſcat & ſenectæ fidele corpus? quâ igitur Tiſiphone, quibus colubris exagitantur, quove mentem concuſſi malo hi quibus poſthabitâ valetudinis curâ; vivendi causâ in ſolo eſt naſo, illumque ne momento ſinunt eſſe vacuum, cùm Peti pugillus pugillum, velut unda undam ſupervenit? nempè,

Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures, ſicut grex totus in agris
Unius ſcabie cadit & porrigine porci.

Sic tantùm ut inter pruritum è millibus vix unum reperias, hac contage immunem, illoſque numerus deffendat; nam gaudet his plebecula, verùm jam quoque ad nares equitum migravit hæc voluptas; quin ſpecie & formâ præſtantem ſexum invaſerunt hæ deliciæ, licet plus aloes quàm mellis habeant, ſuiſque illecebris allexerunt, hinc paſſim cernas vultum modeſto ferventem ſanguine, quem illi manu largâ benigna tribuit natura, decoris ſedem atque pudoris, qui ei dos eſt optima, ſquallidum, ſitu obſitum, & Athletarum aut gladiatorum in modum inverecundo & indecoro ſordidum pulvere, quem juvat collegiſſe, quoque ſe ornari (ut nunc ſunt mores) & putant & gloriantur; ſed nubem pro junone amplectuntur, & quàm longè errant, cordatorum quidem ſententiâ clamantium,

O qualis facies & quali dignâ tabellâ.

Aſt inquiunt, hoc ſalutiferum terræ munus,

Avertit morbos, metuenda pericula pellit.

Illo efficacis errhini ſuccedaneo pulvere, noxiâ redundanteque pituitâ expurgatur cerebrum, vitioſis humoribus liberatur. Maximè.

O medici mediam pertundite venam.

Quaſi in ſtatu ſano, princeps corporis pars, animæ ſedes purgatione indigeat, impuriſque humoribus ſcateat, puriorum ſanguinis partium, ſpirituum putà fons & ſcaturigo, aut priſca illa de cerebri emuntoriis dudùm non exploſa fuerit opinio: age verò quandoque infirmo fluit utilis capiti humor nicotianâ elicitus, cuique moleſta eſt pituita, aut multò maxima hellebori danda pars; at an in eo ducendo nullus eſt modus, nulluſque finis eſſe debet, velut foret tribus Anticyris caput inſanabile, an agyrtarum panaceam æmulans omni congruit ætati? nulli non conducit temperiei? utrique ſexui competit hæc planta, quaſcumque ægritudines debellatura præſentes, futuraſque & imminentes amolitura? nonne potiùs vitæ illuditur, hac effrenatâ nares obſtipandi licentiâ, pulveriſque exotici abuſu, quo, facto agmine, omne morborum genus circumſilit, quos inter dolore capitis imam coronalis oſſis partem obſidente, ſinuſque frontales occupante, frequentior nullus occurrit.

Ergò à Tabaco naribus aſſumpto, peculiaris quædam Cephalalgiæ ſpecies, aliique affectus.

Proponebat Pariſiis JACOBUS-FRANCISCUS VANDERMONDE, Landracenus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H, 1733. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1733.